

manu subscripsi. Misericordia domini plena est terra. Si quis autem diabolo instigante huius nostre traditionis impius violator exstiterit, perpetuo se sciat anathematis vinculo esse dampnandum.

8.

Papst Paschalis II. confirmirt das vom Grafen Wiprecht (von Groitzsch) gegründete Kloster Pegau. 5
Lateran, 1106 Jan. 30.

Hdschr.: Or. Perg. Dresden Hauptstaatsarchiv No. 37. — Bulle an braunseidenen Fäden hängend.

Gedr.: Annal. Pegav. in Mon. Germ. SS. 16, 248.

Anm.: Jaffé 4457 setzt die Bulle wegen Indiktion und Pontifikatsjahr in's Jahr 1104.

:Pascalis episcopus servus^{a)}) servorum dei fidelibus per Saxoniam salutem et apo- 10
stolicam benedictionem.: | Desiderium, quod ad religiosum propositum et animarum salutem
pertinere cognoscitur, auctore deo sine aliqua est dilatione complendum, Gwibertus si-
quidem | Saxonice gentis illustris comes in Merseburgensi parrochia in loco predii sui,
quod Bigowia dicitur, monasterium pro sua suorumque salute construxit, quod misso vice |
sua L̃vuo spectabili milite super altare beati Petri obtulit et in perpetuum iuri sedis aposto- 15
lice mancipavit, advocatiam tamen ipsemet domnus Gwibertus habiturus excepit. Post
eum autem posteritatis sue natu primus, siquidem iuste et utiliter ecclesie preesse voluerit,
sin autem, aut quod deus avertat, posteritas sua defecerit, abbas loci eiusdem saniori
consilio suorum utilem sibi [et]^{b)}) ecclesie eligat advocatum, quem voluerit. Nos ergo eius
desiderium laudabile prosequentes decreti presentis auctoritate sancimus, ut tam prefatus 20
locus quam omnia ad eum pertinentia sub apostolice sedis tutela munita semper et illibata
permaneant, servorum dei illic degentium usibus omnimodis profutura, ut tamen unius
aurei census annuus Lateranensi palatio persolvatur. Nulli omnino hominum liceat eundem
locum temere perturbare aut eius possessiones auferre, minuere vel quasi piis de causis
suis usibus applicare. Sane sepulturam loci illius omnino liberam esse decernimus, ut eorum, 25
qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extreme voluntati, nisi forte excommunicati
sint, nullus obsistat. Crisma, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum,
ordinationes monachorum, qui ad sacros ordines sunt promovendi, ab episcopo, in cuius
diocesi sunt, eiusdem loci fratres accipiant, siquidem gratiam atque communionem aposto-
lice sedis habuerit, et, si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere. Alioquin a quovis 30
chatolico maluerint antistite consecrationum sacramenta suscipiant. Porro nullus ibi in
abbatem qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi
consilio vel fratrum pars consilii sanioris secundum dei timorem et beati Benedicti regulam
elegerint. Si quis autem, quod absit, huic nostro decreto in perpetuum mansuro contraire
voluerit, anathemate feriatur et honoris atque officii sui periculum patiatur, nisi pre- 35
sumptionem suam digna satisfactione correxerit. Observantibus autem hec pax a deo et
misericordia perhenniter conservetur :Amen. Amen.:

(O.) Ego Pascalis catholice ecclesie episcopus ss.
Scriptum per manum Petri notarii regionarii et scriniarii sacri palatii^{c)}. (Ben. val.)